



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LV. de fructibus in absentia percipiendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

COMMENTARIA. IO. A CHOKIER.

A *Ista Regula*) Hanc Regulam ut & duas sequentes Gregorius XIII. expunxit ex suis, unde ijs commentandis aut notis illustrandis non immorabor, præsertim cum ex expeditionem dumtaxat litterarum concernant. Videant tamen cupidi Lectores super hac dispensatione Rebuff. *in praxi tit. de dispensat. de non promovendo & tit. de non promotis intra annum.*

B *Quia etsi cap. licet canon*) Quid si dispensatus de non promovendo diutius tempore concesso retinuerit beneficium, aut si non dispensatus retinuerit ultra annum contra dispositionem c. licet canon. an interim fructus suos fecerit? vide Paponem *lib. 3. arrest. tit. 13. arresto 2.*

Argumenta in Regul. Lv.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Beneficiatus agens in studijs gaudere debet fructibus suorum beneficiorum.</p> <p>2. Longa mora studij præsumitur quis eruditus.</p> <p>3. Hæc Regul. non est danda quia concernit expeditionem litterarum.</p> | <p>4. Regula ista non habetur inter Reg. modernæ Pontificis.</p> <p>5. An Canonicus absens causa studij laeretur fructus sui Canonicatus, si illi consistant in distributionibus quotidianis.</p> |
|--|---|

Regula lv. Innocentij VIII.

DE FRUCTIBVS IN ABSENTIA PERCIPIENDIS.

Item de fructibus in absentia percipiendis detur in Röm. Curia vel studio residendo per quamcumque signaturam septennium & alibi quinquennium.

GLOSSEMA ALPHONSI

- A** *I*sta Regula dicit quod per quamcumq. signatur. in etiam Lat. in ita, fiat ut petitur de fructibus percipiendis debet dari in Romana curia, vel in studio residendo septennium, & alibi quinquennium tantum, hoc dicit: & est ratio huius Regula in studio per septennium, quia licet de iure secundum veritatem deberet scholaris habere redditus beneficiorum suorum in studio, ut not. in c. licet de prob. & in c. quibusdam xxxvii. dist. ubi est gl. bona & ibi latissime Domi. & aliquid in c. 11. de privil. lib. vi. & idem in Ro. curia, ubi studetur in confirmatione fidei circa constantes, licet videantur talia ex quibus deberent eam perdere: tamen quia in studio presumitur quis doctus si studeret per septennium maxime in iure canonico ut dicit gl. in c. cum ex eo de elect. lib. vi. ideo fuit iustum quod ne Ecclesia gravaretur servitio & etiam alij conbeneficiati quod daretur studio septennium, & in curia quinquennium, in qua posset quis bene instruere prioris tempore propter practicam: Camera tamen per signaturam fiat ut petitur dari etiam decennium: sed Cancellaria servat hanc regulam, & ista regula non est danda, quia concernit expeditionem bullarum, & non annullat.

COMMENTARIA. IO. A CHOKIER.

- A** *I*sta Regula) Dixi iam ante Regulam hanc circumscriptam fuisse per Gregorium XIII. ceterosque ab inde Pontifices à Regulis suis eliminasse, quare studio & operæ parcam, contentus lectorem remisisse ad Rebuffum in praxi in dispens. de non resid. ubi non pauca quæ ad hanc Reg. pertinere possunt videre videbitur; ut & apud Nicol. Garciam in tract. de Benef. par. 3. c. 2.
- B** *R*editus Beneficiorum) Dubium est in Canonicatibus, an filiorum fructus consistant in distributionibus quotidianis, ut in Germania & Hispania, Canonicus illos lucretur, si absit causa studij? Dubitationem movet, quod distributiones quotidianæ debeantur presentibus, ut clarum est ex Concilio Trid. Nihilominus verius est deberi absentis causa studij per glo. in c. licet de prob. vers. distributiones, ibi, Abbas & DD. atque ita resolvit S. Congregatio Concilij Trid. in hunc modum: Illi qui licentiâ legitime obtentâ studiorum causa absent. distributiones omnes quotidianas percipere debent exceptis incertis, & quotidianis proventibus, qui tantum inter eos dividi solent qui quotidie sacris interfunt. Quam resolutionem refert Zerola in praxi par. 1. vers. distributiones §. 3. & Zechus de Rep. Eccles. cap. 24. de Canonicis nu. 6. vers. 2. Quæ interpretatio etiam extendenda est ad privilegium Martini V. concessum studiosis Academiz Lovanientis de fructibus beneficiorum in absentia percipiendis, ne alio qui ejusmodi

modi privilegium reddatur elusorium, si distributiones excluderentur, in quibus alioqui omnes fructus, paucis exceptis, consistunt, quod privilegium similiter extendit Eugenius IV, ut nimirum studiosi Universitatis Lovanien. cum ea integritate percipiant, cum qua illos perciperent, si in locis beneficii residerent.

Argumenta in Regul. lvi. Innocentij VIII.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Beneficium Principis est latissime interpretandum</p> <p>2. Discrimen inter aeternam & sempiternum.</p> | <p>3. Hæc Reg. non est danda.</p> <p>4. Questorum abusus sublatus per Concilium Triden. & etiam in Diocesi Leodiens. per statuta Synodalia.</p> |
|---|---|

REGULA LVI. INNOCENTII VIII.

DE INDULGENTIIS.

Item voluit quod in litteris indulgentiarum solum dentur festa per Cancellariam dari solita, & quod durent per xx. annos, nisi petatur pro una die, tunc durent perpetuo.

GLOSSEMA ALPHONSI.

Regula ista dicit, quod si Papa concedat Indulgentias alicui Ecclesie in certis festis tunc debent inseri festa que solent dari per Cancellariam, & durabunt per xx. annos, & non plus: tamen si petatur pro una die tantum in anno, tunc durabunt in perpetuum. hoc dicit. Et ratio dubitandi de xx. annis potuit esse, quia beneficium Principis latissime est interpretandum. olim de verb. sig. facit c. cum dilectus de donat. & l. si. ff. de constitut. princip. & sic videbatur quod per signaturam Principis debeat concessio interpretari in perpetuum, facit cap. decet concessum de regul. jur. lib. vi.

B Sed in contrarium facit: que ista Indulgentia sunt odiosa, propter Questores qui non querunt commodum animarum, sed potius pecuniarum, facit cap. cum ex eo de pen. & re clemen. cum abusionibus eo. titul. sed quando petitur Indulgentia pro una die tantum in anno, debet durare perpetuo id est in sempiternum: